



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

In Cap. Nullus dubinat 4.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

varietate ventorum & turbine difficiles & protervi fiunt, alii propter aquas, alii propter cibos, qui ex terra non solum corporibus commodi aut incommodi oriuntur, verum etiam animis quoque non minus officunt. Ut hinc rectè dixerit S. Pont. in e. *Quia diversitatem* 5, inf. De concess. praebanda, diversitatem corporum diversitatem sapè

sequi animorum. Intellige autem has omnes praeumptiones ita constitutas esse, quod recipiant probationes in contrarium. Caetera vide apud Alciatum & Menoch. qui latissimè de praeumptionibus scripserunt: nos brevitatè studeamus.

In Cap. Nullus dubitat 4.

SUMMARI A.

1. Qualiter praesumatur contra eum, qui dilationibus subterfugit iudicium.
2. Reus citatus & contumax qualiter puniatur.
3. Absens quando pro confesso habeatur.
4. Delictum ex fuga non rectè probatur.

Mirabile est, quod hoc textu dicitur, eum pro confesso haberi, qui dilationibus subterfugit iudicium. Similis ferè textus est in can. *Decernimus* III. q. 9, Imò potius contrarium dicendum videtur, eum, qui dilationes quaerit, minimè constiteri; siquidem dilationibus confessionem suam extrahit, & quantum potest eludit. Quare sententia hujus Cap. exaudienda est de praesumpta confessione, quia praesumitur is, qui dilationibus utitur, malam fovere causam. Ita Gloss. Innoc. Imola & Panor. hinc.

2. Neque tamen haec praesumptio sufficit ad condemnandum reum, sed in eum finem fit, ut propter contumaciam suam vel mulctetur à iudice, l. 2, d. *Si quis in ius vocat. non jorit*; vel actori in expensas, aliaque damna condemnatur, l. *Sancimus* 13, c. De iud. Et ibi Bald. & alii; vel missionem in bona patiat, c. 3, c. *Quoniam frequenter* 5, §. in alio sup. *Vi lite non contest.* vel excommunicetur, c. *fin. d. tit. Vi lite non contest.* Et hoc in causis civilibus. In criminalibus verò contra reum citatum, & contumacem; ad condemnandum pro cedit qui-

dem iudex, sed in poenas tantum modò pecuniarias, vel usque ad relegationem, l. *Absentem* 5, d. *De poenis.*

Uno casu absens pro confesso habetur, si is iustus à iudice, ut positionibus actoris respondeat, nolit, aut contumaciter se absentet, ne respondere cogatur, text. in c. 2, *De confessis* lib. 6, Quamvis hodie ex dispositione Conc. Trid. Sess. 25, c. 3, *De reform.* ad excommunicationem non pro cedit iudex, nisi deficientibus aliis remediis.

Quòd verò alii putant ex hoc textu colligi, ex fuga delictum rectè probari, alienum est à iure, cum contrarium constet ex l. *Lege Cornelia* 25, d. *De S. C. Syllan. ex l. unia* §. *Et quidem ancilla C. De raptu virg. Et ex §. necessitatem* Nov. 8, *Vi iudices sine quoquo suffragio* Et ratio est, quia delictum publicum, live majoris crimen publicum, propter sui momentum, idoneis testibus, vel apertissimis documentis, vel iudiciis ad probationem indubitatis, & luce clarioribus probari debet, ut loquitur text. in l. *fin. C. De probat.* Similis textus est in l. *Qui sententiam* 15, c. *De poenis.* Unde etiam discreto Ulp. respondit, neminem ex suspicionibus damnari oportere, in d. l. *Absentem.* An verò fuga ex carcere faciat indicium ad torturam, vide Prosp. Farinacium in *Praxi criminali* q. 30, num 85, cum seqq. quia alienum est ab hoc proposito nostro.

In Cap. Nonne 5.

SUMMARI A.

1. Negans unum ex duobus simul propositis alterum affirmare praesumitur.
2. Fallit in rebus cohaerentibus, & quarum altera accessorie venit.
3. Casus omissus remanet in dispositione iuris communis.

EX hoc Cap. pronuntiatum sive axioma istud elicitur, quod qui ex duobus simul propositis alterum tantum modò negat, praesumatur alterum tacite affirmasse, idque ab exemplo Christi colligit hic textus. Cùm enim Ioan. c. 8. Christo objectum esset à Judaeis, quod Samaritanus esset, & daemonium haberet, ipseque respondiisset, se non habere daemonium, collegit